





I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII



14.

HERMANNI PLASSE
DE SCHOLIS
ORATIO.

I.



Halæ Saxonum,
Typis Erasmi Hynitzij.

1604,

16.

122

JOHANNES
OLIVIA



1604



MAGNIFICIS, CON-
SULTISSIMIS, ET PRV-

DENTISSIMIS VIRIS, PHILIPPO

Schmidt, & Iacobo Mülbeck, Dn. Consulibus,

& reliquis Reipubl: Halensis Senatoꝝ

ribus Dn. & mœcenatibus

suis colendis.



*Vanquam Eloquentia, Amplissimi &
Prudentissimi viri, nihil melius: nihil
præclarius: nihil utilius: attamen ho-
die à plerisque non solum negligitur: sed etiam
contemnitur.*

*Et quanquam aliqui adhuc reperiuntur, qui
illam laudant: tamen id, quod laudant, non fa-
ciunt, non præstant.*

*Etiam si unum hoc sit medium, quo rationis
expertibus animantibus non solum, sed etiam
hominibus homines antecellimus.*

*Quid? quod omnis rerum cognitio inanis, va-
na, manca, infrugifera est: nisi dicendi facultas
accedat.*

*Tantum enim quisque profecisse videtur, quan-
tum dicendo scribendoque cultè & ornate expri-
mere potest.*

A 2

Quam-

Quamobrem nostrum aliquot Collegium de-
clamatorium, quamvis officio omnes occupati &
distenti simus, instituimus: & ita instituimus;
ut quasi à primordijs & principijs exordiamur.

Initium ego feci, & de scholis hanc orationem
& scripsi & recitavi: & ita recitavi: ut aliquot
de ludis scholas adiungerem. Vobis autem primam
hanc de scholis orationem à me habitam dedicavi
& consecravi propterea, quod illam apud vos pri-
mò habere constitueram. Deinde etiam propterea,
quod plerosq; ex vobis in omni literarum doctri-
na excellentes cognovi.

Accedit deniq; , quod omnes literatos viros,
& amatis & pro viribus promouetis.

Vos ut à bono animo factum meum profectum,
boni consuletis.

Valete Conaria Idib. Septembris.

Anno 1604.

Vobis dedicatis.

M. Hermannus Plassius Præ-
fectus Conariensis, & Poë-
ta, Laureatus.

DE SCHOLIS ORATIO.

I.



I quis vestrum, Collegæ, aut eorum, qui adsunt, fortè miratur : me, qui onus laboris sustineam difficilimum, & officium geram molestissimum, ad declamandum conscendere : is, si mei propositi causam, rationemq; cognouerit; non solum id, quod facio, probabit & laudabit : verum etiam idem facere tentabit. Etenim si Seruio Sulpitio & Patritio & Nobili, causas oranti, ius, in quo versabatur, ignorare, turpe erat : Et alij Iurisconsulto iura tenenti & proficenti, & Grammaticam, & Elegantiã verborum, & oratoria ornamenta nescire, dedecus erat : Sanè nobis non laudi erit, scire Theologiam, scire Iurisprudentiam, scire Medicinam & Philosophiam : & verbis doctrinas illas sanctissimas non posse exprimere : quodq; propositum Germanico vestitu, id Latina veste togatum ornatumq; reddere non didicisse. Equidè animum induxi meum, Ciceronem quotidie legere, quotidie imitari, quotidie aliquid scribere & commentari, & facerem etiam, nisi me à proposito auocarent labores officij & causæ forenses. Neq; enim quicquam in literis præclarum, sine scribendi declamandiq; consuetudine effici potest. Et quanquam declamationum utilitates confitentur pleriq; : pauci tamen id vsurpant, quod laudant.

A 3

Vos

Vos tamen mecum sentire, Collegæ, animadu-
erto: animum me vestrum videre videor; me & imitari &
declamare mecum, apud animum cõstituis-
tis vestrum. Quod si assequor: & fructum mei me laboris & vestræ
imitationis laturum, confido. Quando verò declamare
& dicere in scholis vsitatum est, & sine ijs non declama-
tur, de ijs aliquot orationes apud animum constitui
meum habere. Nunc autem dicam & quidem primum
de scholarum nomine: Deindè de earundem origine,
vetustate, propagatione, tum etiam de excellentia & v-
tilitate earum: De quibus tribus, si breuiter d. xero, per-
orabo.

I. Scholæ appellatæ sunt, non ab ocio, & vacatione
omni, vt stultum hominum genus, & imperitum vul-
gus, in quo neq; ratio est, neq; discrimen, opinatur: sed
quod cæteris rebus omnibus omisis, vacare studijs, va-
care artibus liberalibus & disciplinis pueri ingenui de-
beant.

Vt etiam Ludi appellantur, non quod in eis ludatur:
sed quod in eis discatur, doceatur, dicatur. Et ita scholæ
non lusionis, sed discendi domus, atq; officina & no-
minatur & habetur. Etenim in Ludis non solum Græ-
corum, sed etiam Latinorum Philosophia, cuius præ-
stantissima pars est religio, proponitur, docetur, expli-
catur, illustratur.

II. Neq; ludi hodiè tantum, vt quidam imperiti arbi-
trantur, cæperunt: sed semper ab initio mundi fuerunt.
Nam si historiam & antiquitatis memoriam à mundi
exor-

exordio usq; ad hanc ætatem nostram reuocabimus, scholas semper extitisse reperiemus. Nec dubium est, quin omnium rerum Dominus & Moderator DEVS primo hominum parenti primi Ludi institutionem, vbi filios procreauit, mandauerit.

Patres etiam sanctissimos, cum tot filios generaerint, & tantam mancipiorum copiam aluerint; scholas habuisse, credibile est.

Magnum quoq; illum virum Moysen, qui in Ægyptiorum scholis eruditus & institutus fuit, Gymnasia extruxisse credimus.

Nota est schola Eliæ: nota quoq; Elisæi, qui Præceptoris ludum non modo pietate & sanctimonia: sed miraculis etiam illustriorem effecit. Nam cum discipulus quidam in inopia & fame, annonæq; charitate herbas collegisset, ijsq; comessis, Mi Magister; Mors in olla, exclamasset: pulmentum illud salubre vates confecit. Deindè cum eius schola accresceret, & ita accresceret, vt discipulos capere omnes non posset: petebant discipuli, vt illis ad Iordanem ire, & trabes ad ædificandum auditorium capacius adferre liceret: cumq; vni eorum ferrum securis in aquam lapsum foret, & ille accommodatam securim esse, conquereretur; illud Propheta iussit emergi.

Nobochodonosor Rex Hierosolyma capta Danielem Prophetam, aliosq; adolescentes regio & nobili genere ortos, omnibusq; scientijs & disciplinis eruditos, sibi adduci mandauit, eisq; Magistros, qui eos linguam

quam Chaldaeam docerent, praefecit, victumq; ex regio
penu assignavit.

Quid multa? Christus ipse Servator noster scholas
habuit, discipulisq; suis Moysen & Prophetas explana-
vit, Christum imitati sunt Apostoli: Apostolos patres:
vt Cyrillus: vt Chrysofomus: vt Basilius: vt Augustinus:
vt Ambrosius: vt Bernhardus, alijq; innumerabiles.

Ad Graecos propero: Ignoscite, auditores, breuita-
ti: mihi enim properandum necessariò est: vt omnia
vobis, quæ mihi cõstituta sunt, possim exponere. Apud
Graecos & scholas habuit, & disputavit plurimum So-
crates.

Plato eius discipulus & Philosophorum Princeps
ludum etiam aperuit, & discipulos post se reliquit do-
ctissimos: Xenocratem & Aristotelem, quorum vterq;
suos habuit asseclas: hi qui erant cum Aristotele peri-
patetici nominati sunt: propterea quòd in Lyceo in-
ambulantes disputabant: illi autem qui Platonis insti-
tuto in Academia, quod est alterum Gymnasium, cæ-
tus erant, & sermones habere soliti ex loci vocabulo
nomen habuerunt.

Aristoteles motus Isocratis Rhetoris gloria, decla-
mationes post prandium singulis diebus habuit, ex eo-
que ita claruit, vt Philippus Rex filio suo Alexandro
Præceptorem ipsum accierit. Prætermitto scholas Græ-
corum plurimas: Prætereo Stoicos: taceo Pytago-
reos, aliosq; cum Physicos, tum Ethicos: vt Democri-
tum: vt Melisum: vt Parmenidem, aliosq; plures. Et
ne

ne nimium oratio excrescat, alios multos fileo. Nihil de
Poëtis: nihil de Philosophis & Mathematicis nunc dico.

Ad Romanos transcendo. Quamquam Romani
Marti potiùs quàm arti sua dedicauerunt templa: ni-
hilominus tamen posterioribus temporibus cum Mu-
sis rationem habere cœperunt, & in artibus & scientijs
excelluerunt: & ita excelluerunt; vt omnia aut per se
sapiëntius quam Græci, inuenirent: aut accepta ab il-
lis meliora facerent.

Et quamquam Italia quondam plena fuit litera-
rum: plena scholarum: cum primis tamen Roma
multos excellentes protulit viros: protulit Virgilium,
Poëtarum Latinorum facilè Principem: protulit Tibul-
lum Poëtam & nobilem virum, & Meccœnati gratissi-
mum: protulit Ciceronem Romanæ eloquentiæ pa-
rentem: protulit Salustium: protulit Iulium Cæsarem,
magis Oratorem quàm Historicum: Liuium quoque
protulit Historicum: Plinium protulit, aliosq; cum
Poëtas tum Oratores maximos. Silebo ICTos: tacebo
scholam Vlpiani: Auditorium Papiniani: Gymnasium
Iauoleni: Ludum Trebatij: aliasq; præteribo scholas
clarissimas: clarissimosq; Viros: vt Varronem: vt Ca-
tonem: vt Senecam: vt Quintilianum: aliosq; autores
cultissimos præteribo. Tantùm de schola Romana.
Sileatur Bononia: taceatur Patauium: prætermittatur
Verona: prætereatur Mantua: aliaq; Gymnasia pluri-
ma, cum Gallorum, tum Hispanorum relinquuntur, ne
in librum Oratio excrescat mea.

B

Ad

Ad Germanos tandem venio. Quanquam serius in nostra patria, & hisce regionibus literarum studia propagata sunt; ita tamen nostris hisce temporibus florent, vt & Romanorum & Græcorum Gymnasia, si non superent, tamen facile ijs sint paria.

Vnica Sturmiiana schola utrasq; nationes facile exuperat: & ita exuperat: vt ei Academia Platonis: Lycaum Aristotelis: Stoa Zenonis: Auditorium etiã Papiniani cedat. Habet enim Philosophos acutissimos: habet Oratores eloquentissimos: habet Mathematicos excellentissimos: habet deniq; Historicos diligentissimos: Ictos peritissimos. Aperuit enim illam Iohannes Sturmius, Præceptor meus dilectissimus, qui alter Cicero ab omnibus meritò & nominatur & habetur. Vixit in illa & adhuc vivit Iohannes Havenrenerus, alter Aristoteles: & Conradus Dasypodius alter Euclides meritò. Quanto enim artificio Horologium & Gallum ferreum cantantem fecerit, alij iudicent.

Quid de Basiliensi schola dicam? ex qua tanquam equo Troiano prodierunt viri clarissimi & plurimi.

Quid de VVitembergensi Academia loquar? in qua sanctissimum DEI verbum per maximos Duumviros Lutherum & Philippum Mel: fuit primum promulgatum & propugnatum.

Quid de Ienensi? in qua Iustus Lipsius artes professus est liberales. Quid de Iulia? in qua Ioannes Borcholtus vixit, Præceptor meus desideratissimus, & Ictus excellentissimus.

Quid

Quid de Lipsensi? in qua non pauci Oratores, inter quos Ioachimus Camerarius primarium meritò locum obtinuit,

Quid de Francofortensi? in qua nobilissimus Advocatus docuit Ludovvicus Schraderus, & Medicus excellentissimus Iodocus VVillichius,

Quid de Rostochiana? in qua Chytræus sanctissima literarum diuinarum volumina & artes multos iam annos professus est,

Quid de Myrtileto? in quo Poëtæ excellentissimi Petrus Lotichius & Paulus Melissus vixerunt,

Extant & Monasteria, in quibus artes liberales proponuntur & explanantur. At dicas; sunt hodiè cœnobia non Musarum, non Phæbi: sed Bacchi, sed Veneris, sed Epicuri domicilia. Equidem non nego. Sunt tamen Iesuitarum Collegia, quæ non solum à Pontificijs maximis impensis atq; sumtibus: sed etiam optimo ordine & iusto modo instituuntur; vt non solum adolescentes in ijs artibus benè erudiantur, sed etiam quotidie exercentur: quotidie in illis exercitationes: quotidie disputationes: quotidie declamationes habentur. Dumq; ita indies sese exercent, magis atq; magis eorum splendet oratio & commentatio: quemadmodum eorum scripta satis attestantur.

In illum etiam finem Carolus Magnus potentissimus Imperator, & religiosissimus Princeps tot Monasteria: tot Collegia: tot Gymnasia in Gallia & Saxonia nostra constituit. Et quanquam Rex ille Pius &

Magnus magna & quidem quadraginta integros annos, bella cum Saxonibus gessit, antequam illos subegit, & ad Christianam religionem adduxit: in illis tamen non crudelis: sed humanus, sed clemens, sed liberalis extitit.

Extant in Saxonia septem Episcopia, quæ constituit. Extat Bremense & Verdense, quibus Scotos & Anglos literatos viros præfecit. Extat Badebornium, in quo VVidikindum huius oræ quondam Præfectum & Comitem baptisari & sacris initiari curauit Carolus. Extat Mindense: extat Vallerflebianum: extat Saligstadianum seu Halberstadenense: extat deniq; nostrum Episcopium: quod quamuis Otto Magnus constituisse & extruxisse dicatur: initia tamen iecisse Carolus Magnus putatur.

Equidem in Collegijs nostris hodiè non erudiuntur adulescentes, aluntur tamen & educantur, vt Episcopijs præesse possint. Et quidem nostra Diæcesis non solum Saxonix, sed etiam totius Germanix proceres nobilissimos & literatissimos habet viros,

Habet Ludovvicum Lochonium, Decanum: habet VVichardum Bredouium, Seniore: habet Ioannem Arnimium, Cellarium: habet Titum Möllendorffium: habet VVolfgangum Spitznasium: habet Augustum Aschenburgium: habet Christophorum Görnium: habet deniq; Ludovvicum Lochonium iuniorem: qui omnes literati & sunt & habentur.

Neq; solum hic religiosus Rex in Saxonia: sed in Gal-

Gallia, in Italia, in Hispania quōq; bellorum gloriam consecutus est: & non minorem sibi honorem & laudem studio religionis & patrocinio literarum sibi acquisiuit. Etenim ipse vt literatus, vt pius, vt religiosus, religiosos & literatos viros promouit, & secum semper esse voluit.

Albinum Scotum literatum hominem in Insubriam misit, & ipsum Ticini ludo literarum præposuit.

Clementem Scotum Albino æqualem, & etiam benè doctum virum Lutetiam misit, Deinde etiam stipendia adolescentibus constituit, & inprimis Parisijs Collegium instituit: quod non solum ex nobilium liberis: verum etiam ex plebe ciuium non locupletum filijs cooptatis constare voluit, quo vsq; adeò delectatus est, vt probationi illorum adolescentium adesse voluerit. Probabatur enim in illis non solum memoria Præceptorum, verum etiam exercitatio: quæ fiebat aut scripto subito: aut dictione subita: aut oratione meditata: aut versibus compositis, de quibus Imperator ipse sententiam dicere potuit, & dixit: Si verum est, quod tradunt Historici in probatione Parisiensi: quam honesta pauperum adolescentum laudatio?

Agite pueri, pergite vt cœpistis, amplissima industriæ præmia consequi: qui meam autoritatem secuti estis: vestra sint sacerdotia: ex vobis Episcopos deligam: ex vobis Pontifices constituam: vobis hic honor tributus sit: vt hic ad dextram meam collocati atq; conspicui sitis.

Quanta verò seueritas in illa contraria con-

demnatione? Vos verò belli & delicatuli delibutis & compositis capillis, adolentescentes: qui parentum vestrorum facultatibus nitimini, & nobilitati cōfiditis, & Cæsaris vestri autoritatē Imperatorisq; maiestatem contemnitis: exemplum in vobis constituam meæ seueritatis & vestræ ignauitæ. Hi inopes atq; pauperes vobis in honoribus anteponentur, vobis etiam in præmijs præferentur: DEVM testor, nullum vobis reditum ad honores & præmia patere posse, antequam in virtutis & diligentia & verecundia viam redeatis.

Quis non hanc Imperatoris cominationem vereatur & magnifaciat, & secundum eam studia sua instituat? Agite vos, qui securim; qui sclopetum geritis: qui nihil discitis; qui semper spaciimini, expergiscimini: finite ignauiam, & diligentiam apprehendite, magniq; Cæsaris cohortationem audite, & consilium salubre sequimini. Vos quoq; ab omni maleficio non solum temperate, sed etiam mentem ipsam & agitationem animi castam inuiolatamq; conseruate, eosq; tanquam pestem & Satanam vitate, qui non solum ipsi obstinato versantur animo in sceleribus, sed alios etiam pestiferis institutionibus corrumpere nituntur: sed breui illi non solum omnium rerum inopia destituentur, sed etiam temporalibus & æternis supplicijs maetabuntur.

Quod si neq; imperatoria maiestas, neq; Cæsaris autoritas mouere vos potest: moueat vos vestra salus, vestraq; vtilitas, scholarumq; necessitas.

Habemus natura labe & maculas; habemus etiam
multa

multa communia vitia : & quotidie culpis istis maximum cumulum adiungimus : Sunt etiam nobis mendosi mores , & ætatum & nationum & studiorum proprij, sua quisq; peculiari natura fingitur.

His malis nisi succurratur : nisi remedia salutaria inueniantur : nihil potest esse in Repub : aut syncerum aut diuturnum. Quamobrem disciplinæ veteres restituendæ & scholæ bene instituendæ sunt : vt illa , quæ aut natura, aut more & consuetudine, aut ætate, aut opinione, aut ingenio vitiosa sint, corrigantur & emendentur. Nihil enim est in natura rerum quod ita mores erudiat, vt literarum studia : nihil tam aptum ad vitia delenda, quàm scholarum exercitatio. Et quanquã omnes omnium hominum ordines secundum virtutẽ viuere decet : nullum tamen est hominum genus, quod sanctiorem & seueriorem retineat disciplinam, quàm literatorum. Quanquam etiam singulis priuatim utile est, tam urbanis quam rusticis hominibus liberos in artium liberalissimarum disciplinis versatos esse : cum primis tamen utile vniuersæ Reipub: Christianæ, & quidem maximè necessarium, educari & erudiri nonnullos, qui S. S. DEI verbum profiteri, quiq; Reipub: consilijs suis prodesse possint. Quod sanè sine scholis, earumq; frequentia minimè fieri potest.

Quamobrem cum scholæ non ociosorum hominum, sed docentium & discentium sint officinæ : cum sancti Prophetæ & Apostoli, adeoq; Seruator ipse scholas habuerit : & quod maximum est, sine Scholis neq;
Eccle

Ecclesia, neq; Respub: conseruari queat, nos scholas
colamus, iuuemus, promoueamus: & Stipendia à ve-
teribus constituta cùm reseruemus, tùm augeamus:
quò facilius Verbum DEI accrescere & Res-
pub: incolumis esse
possit.

D I X I.



Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3
002 690 756



56.

VD77







14.

HERMANNI PLASSE
DE SCHOLIS
ORATIO.

I.



Halæ Saxonum,
Typis Erasmi Hynitzij.

1604,

16.

